

1345

P O L E M I C I .

1346

C O D I C E S

P O L E M I C I .

DXCV.

U. 305 **C**odex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 190. f. per duas columnas luculente scriptus, et rubricis illustratus, praemisso Capitum Indice hoc Titulo est: *Incipit liber de ueritate catholice fidei contra errores infidelium. editus a fratre thoma de aquino ordinis fratrum predicatorum.* Idem Opus ad calcem dicitur *Tra&tatus de fide catholica contra gentiles*, alias etiam *Summa contra Gentiles*, et constat *Libris* IV. quorum I. inquit: *Veritatem meditabitur guttur meum &c.* et IV. definit: *sed gaudebitis et exultabitis usque in sempiternum. Amen.* In Edit.

Opp. omn. *Paris.* curata ab *Joh. Nicolai* Nostrum occupat *Tomum* XIII. et XIV.

DXCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 306
Folior. 174. f. max. per duas columnas luculente scriptus, et rubricis distinctus eadem est *Summa contra Gentiles*, ad cujus calcem legitur: *Explicit Liber contra Gentiles in Muldarff* (Mühldorffum juris Salisburg. in Bavaria) *finitus per me Henricum Westerman conscriptus. Et in vigilia Sancte Katherine finitus. Anno domini*

P 2

1347

CODICES

1348

domini Millesimoquadringsimo Decimonono. Sequitur Tabula omnium IV. Librorum. Codex humore tracto vitiatus. Operum Thomae haecenus indicatorum Historiam curate pertractant Ord. Praed. Bibliothecarii T. I. a p. 283. subplentque T. II. p. 818.

DXCVII.

R. 1258 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 8. per duas columnas multis vocum compendiis exaratus, minio pernotatus et quondam Collegii S. J. Vienn. praevio Capitulo Elencho inscribitur: *Incipit liber de veritate fidei catholice contra errorem infidelium editus a fratre thoma de aquino ord. fr. pred.* De Libro I. intellige; nam II. praemisso itidem Elencho Capitulo orditur fol. 74. p. 2. Liber III. et IV. alium Tomulum occupaverint, qui non comparet. Tractatus hic passim audit: *Summa contra Gentiles*, sed nostrum Titulum primitivum esse, testantur Codices Sorbonae legati a Viris, qui Thomam etiam dum viventem viderant, referente Quetifo T. I. p. 289. L. I. incipit: *Veritatem meditabitur guttur meum* &c. et II. finit: *sed suum intelligere est totum simul perfectum permanens per omnia secula seculorum. Amen.* Commentatus est in hos Libros Franciscus de Sylvestris Magister post Gen. Ord. ejusque Commentarius cum Thomam legitur in Edit. Opp. Rom. T. IX. fol. 1. Clausulam miniatam immemor, quae in Titulo scripsisset, ita

dedit Librarius: *Expliciunt questiones fratris Johannis de (Vienna? Ulma? est enim erasum a paullo minus inconsulto, utpote qui Johannem non tetigerit) quas scripsit iohannes de suecia. Deo gratias Amen. De Suecia, an Suevia? haec namque boni illi saepe confundebant, ut Daniam et Daciam.*

DXCVIII.

Codex membraneus gall. Sec. R. 1541 XV. Folior. 402. f. max. vastae molis per duas columnas luculente perscriptus, non tantum literis initiorum deauratis et picturatis, titulisque miniatis ornatus, sed V. etiam magnificis Picturis totam paene paginam occupantibus visendus, olim ab J. Jac. L. B. de Lamberg tunc designato Gurcensi Episcopo, postea a. 1630. defuncto comparatus levissimo 30. Rhenens. pretio, demum a. 1728. e Graecensi Archid. Bibliotheca in Palatinam nostram translatus complectitur Alphonsi de Spina ab Judaismo conversi et inter Franciscanos recepti Opus polemicum contra Haereticos, Judaeos, Saracenos et malos Daemones inscriptum *Fortalium Fidei*, id quod Interpres gallicus Petrus Richart reddidit *La Fortresse de la Foy*. Ne longior sim, alterum aequae splendidum Exemplar, quod Vol. I. P. 2. col. 1393. produxi, facit. Eadem enim utriusque ratio, nisi, quod in praesenti Prologus Interpretis sequatur Autoris Prologum, stilusque aliquando in minutis